ORATIO ANNIVERSARIA,

EX HARVEII INSTITUTO,

HABITA IN THEATRO

COLLEGII REGALIS

MEDICORUM LONDINENSIS,

DIE OCTOBRIS xviij, A.D. MDCCLXVI.

A WILKINSONO BLANSHARD, M.D. Cantab.

COLL. REGAL. MED. LOND. SOCIETAT. REG. ET ANTIQ. SOCIO.

LONDINI:

Excudebat J. HUGHS.

MDCCLXVII.

ORATIO

ANNIVERSARIA,

EX INSTITUTO

HABITA IN THEATRO

COLLEGII REGALIS

LONDINI:

Excudebat J. HUGHS.

MDCCLXVII.

SI MODO IN HAC ORATIONE, EX OFFICIO HABITA, ET AMICORUM HORTATU OCULIS TANDEM SUBJECTA, GRATUM ESSE ALIQUID COLLEGIS SUIS INTELLEXERIT, SIBI SATIS FECISSE VIDEBITUR,

AUCTOR.

ORATIO

ANNIVERSARIA

HARVEIANA.

ORATIO ANNIVERSARIA HARVEIANA.

TAMETSI mihi nihil fuit optatius, quàm ut primum a vobis, Præſidens digniſſime, Collegæque doctiſſimi; deinde a cæteris omnibus voluntas mea erga communitatem noſtram cognoſceretur: tamen præter opinionem accidebat, ut eam hodie ex hac cathedra palam profiteri mihi neceſſe eſſet. Nunquam enim exiſtimavi vel magnum Harveium noſtrum, hujuſce annuæ ſolennitatis conditorem, vel iſtos celeberrimos viros, Pellettum et Freindum, inſtau-

inſtauratores ejuſdem diu neglectæ, oratorem voluiſſe e junioribus Collegii Sociis. Illum credidi, atque adhuc credo, voluerunt potius annis et doctrina venerandum, qui majorum pulchre facta apte, ornate, diſtincteque diceret. Sed quoniam omnes mihi ætate et ingenio anteuntes gravi aliqua de cauſa hoc munus recuſarunt, ego, quamvis ad id non ſat idoneus, ullum officii mei erga has ædes ſtudiique tempus prætermittere nolebam.

Si volumus hujuſce collegii conſiderare principium, reperiemus id, ex honeſtiſſimis cauſis natum, atque optimis rationibus profectum. Nam fuit quoddam tempus, cum in Britannia noſtra Medicinæ Scientia caput ſuum languidum non niſi intra mœnia cœnobiorum extollere auſa ſit. Cujus cognitio ac perceptio commovebat nonnullos viros, ingenio, juſtitia, ac integritate præſtantes, artem ſalutarem noſtram ex iſta ſolitudine receſſuque ſacro eruere, et in lucem proferre: eoque etiam præſtantiores habendi ſunt, quia ſtatim conſilium utile reipublicæ medicæ conſtituendæ inibant.

Inter

Inter illos præcipue eminebant clariſſimus Cardinalis Wolſeius atque Thomas Linacrus; quorum alter doctrinarum omnium bonarumque artium fautor ac adjutor ſemper extarat; alter doctrinam Græcam literaſque humaniores ab Italia earum tum nova florentiſſimaque ſede in patriam reportarat.

Talibus auſpiciis, atque Henrici Octavi privata gratia, honorifico ſenatuſconſulto confirmata, jacta ſunt fundamenta ſocietatis noſtræ, tam in commoditatem ſalutemque civium, quam in dignitatem honoremque medicorum ceſſuræ. Et quis veſtrum ignorat quali pietate et induſtria idem Linacrus in domo ſua perhoſpitali alebat eam ac fovebat? Quis porro ignorat quali teſtamento cavebat, ne poſt mortem ejus alias ſedes, alia domicilia quærere cogeretur?

Deinceps decus noſtrum, jure quaſi hæreditario acceptum, ſuſtinebant multi, iique doctiſſimi, nemo autem magis quam Gulielmus Buttius, *vir*, ut ex annalium monumentis cognoſcatur, *gravis*, *eximia* *lite-*

literarum cognitione, ſingulari judicio et prudenti conſilio præſtans. Huic æternitatem et immortalitatem felici quodam fato donarunt duo in ſuis artibus longe aliis excellentes, pictor unus, alter poeta. Holbenii enim colores artificioſi, atque Shakeſpeari carmina divina adhuc teſtantur illum fuiſſe comitem et amicum regis magnificentiſſimi *. Liceat mihi inſignem hunc medicum a tam regali ſitu in priſtinam conſuetudinem paululum revocare, et hodie in numerum ſociorum ſuorum adſcribere, in quibus par atque in illo fuerit ſcientia. In poſterum memoriam ejus iis ſervandam trado, quorum artes cum ipſis tum etiam illi gloriæ in omne ævum ſint neceſſe eſt.

Proximas etiamque majores laudes mereri videtur Joannes Caius; et quamvis ejus dignitatis augendæ poteſtas mihi non data ſit, tamen nihil prætermittendum arbitror, in illo ornando, quod poſitum eſt aut in præmio virtutis aut honore verborum. Ille

* Vid. Mr. H. Walpole's Anecdotes of Painting in England, vol. I. pag. 82. et Shakeſpear's Life of King Henry VIII. act V.

Linacri

Linacri veſtigia premens optimis Italarum ſcholarum diſciplinis atque artibus ſtudebat, in his vero potiſſimum deſudabat, quæ haud ita pridem infantes ac debiles, jam tandem habuerant ſuam quandam maturitatem. Statuebat igitur anatomiam a Veſalio ac Columbo accuratius tractatam, ſuo perfectam ingenio atque elaboratam induſtria, huc afferri oportere. Talem Caii in patriam reducis comitem communi ſalutatione dignam noſtrates putabant *, atque intra ſpatium unius anni anatomicæ Veſalii tabulæ ſplendore illis antehac fere incognito nitebant †.

Ex eo enim tempore quo vir quidam peregrinus ingenioſuſque modum imprimendi chartæ ſigna in æs inciſa invenit atque excogitavit ‡, de noſtris nulli ar-

* In Ephemeridibus extraneis manu Johannis Caii ſequentia annotata fuiſſe dicuntur : Giovanni Caio parti da Cantabr. verſo Italia, MDXXXIX.—Ritorno verſo Inghillterra, MDXLIV. Vid. Tanneri Bibliothec. Britann.-Hibernic. pag. 145.

† Thomæ Gemini Lyſienſis compendioſa totius Anatomes delineatio ære exarata, folio, 1545. Vid. Mr. H. Walpole's Catalogue of Engravers, pag. 6.

‡ Vid. Mr. Walpole's Catalogue of Engravers, pag. 3.

tem iſtam tam novam tamque pulchram exercuerant. Cunctanter autem et languide in illa colenda procedebant, quia nemo adhuc patrocinium ejus ſuſceperat. Quanta igitur laus debetur medicis iſtius ævi, qui primo id artificium ad exprimendas corporis humani partes, figuras, et ſitus adhibuerunt * ? Tanta quidem et talis, qualem optimarum artium patroni de civibus ſuis meruerunt.

Satis jam, ſatis doctrinæ atque famæ rempublicam noſtram, hactenus fere indotatam, ornaverat, cum provida mens Caldwalli, opem a Barone Lumleio petens, divitiarum copiam, tum ad eas promovendas, tum ad remunerandas, præbuerit. Felix nimium qui ſolum quoddam atque fundamentum ſic poſuerit, unde aliquanto poſt Harveius lumen animi, ingenii, conſiliique ſui patriæ oſtenderet.

* *The birthe of mankind, otherwyſe call'd the woman's boke*, 1540, 4to. The firſt tranſlation into Engliſh, with many ſmall copper cuts, is dedicated to Queen Catherine, wife to King Henry VIII. and are the firſt rolling-preſs cuts I have ſeen in Engliſh books.—Vid. Typographical Antiquities, by Joſeph Ames, pag. 219.

Veſtrum

Veſtrum enim nemini non notum eſt, eum intra hoſce parietes coram ſociis ſuis diu multumque pro circulatione ſanguinis diſſeruiſſe, et novum ſuum inventum non prius emiſiſſe, quam omnium aſſenſu atque una voce comprobatum eſſet. Doctus quidem quiſque ac ingenuus, qualis ille omnino fuit, vult ſemper imprimis approbationem eorum quibuſcum vivitur, atque per iſtam modeſtiam comparat claram ſtabilemque auctoritatem.

Sed cum res per totam Europam celeberrima atque notiſſima evaſiſſet, et magna apud omnes eſſet gloria nomen Harveii; uſu ejus, moribus ac ſermone ſocietas noſtra præcipue fruebatur. Et ſane tunc non ſolum uſitatum, quin etiam quotidianum fuit aliquid audire, quod pro noſtra dignitate fideliter atque honorifice aut dixerat aut fecerat. Reipublicæ noſtræ cuſtodem, præſidem, et propugnatorem diutius ſe præbuit, ſumma tandem ſenectute et perdita valetudine confectus, tali onere levari voluit. Deponebat autem omnino poteſtatem ſuam, ne ſenili ac debili imperio pateretur aciem auctoritatis hebeſ-

cere. Conſuetudinis tamen et inſtituti ſui ſe nunquam obliviſci inſigne documentum dedit, qui omnia bona ſua huic collegio non moriens legavit, ſed largo, benefico, liberalique animo vivens adhuc donavit. Inde orta eſt bibliotheca iſta utiliſſima et nitidiſſima, quæ jam hanc domum amplificat et ornat. Inde ortus eſt hic virorum clarorum congreſſus. Virtus igitur Harveii nondum extincta eſt, ſed vobis verſatur ſemper ante oculos, etiamque poſteris erit clara ac inſignis. Quippe non dubito fore pleroſque, qui feſto hoc die veſtros animos ad ejus memoriam quotannis revocabunt. Sin autem iſta laudatio deficit unquam, e conſpectu veſtrum nunquam abire poteſt liber ille, quem nuperrime ab hoc collegio correctum et emendatum maxime accepiſtis *. Ex quo ferax ac pœne divinum Harveii ingenium elucet clariſſime; ex quo perſpicuum eſt, conſtatque inter omnes, nobis nondum deeſſe viros diſciplina doctrinaque rerum et verborum abundantes †.

* Gulielmi Harveii Opera omnia: A Collegio Medicorum Londinenſi edita: MDCCLXVI.

† Ibidem. Præfatio et Vita Harveii.

Mora

Mora eſt perſequi commendationes omnium, quorum beneficia maxima habemus. Quis vero de noſtris gratias Gulſtono atque Croonio meritas mente non perſolvit? Quis viſit atque ſpectat haſce ædes liberalitatis Hameii immemor? Annon voluptate quadam perfundimur audientes communitatem noſtram placuiſſe etiam principi viro Marchioni Dorceſtriæ, et ab illo auctam ac decoratam fuiſſe præmiis utiliſſimis? Confido enim neque hæc neque alia beneficia exiſtere poſſe, quæ noſtri animi ſuſtinere non valeant.

Quot et quales huic noſtro collegio munificentiam ſuam donis ampliſſimis teſtati fuerint, jam vidiſtis. Nunc ad eos tranſeamus, qui vel in phyſiologia nova condenda, vel in morbis atrociſſimis auxiliandis claruerint. Occurrunt primo Gliſſoni, Williſii, et Whartoni nomina, quorum memoria nunquam obliteranda eſt, dum in hepate movetur bilis; dum cerebro ſenſus eſt; dum in glandulis humores ſecernuntur. Occurrunt opera tua, Bennette, magna tabidorum ſubſidia. Occurrunt commentaria tua, Harriſie, infantium certa prope ſalus.

Mor-

Mortonum autem, qualis fuit medicus, intelligere poſſumus? Non enim, ſicut ille, venenum quoddam ſpiritus inficiens cauſam eſſe morborum univerſalium comprehendimus ac percipimus. Immo etiam hoc nobis dolet, eum falſa iſta opinione deceptum præcepiſſe ut alexipharmacorum uſu, et ſtragulorum ingeſtione ſpirituum expanſio acceleraretur et promoveretur, donec vis illa veneni expelleretur, vel ſaltem obtunderetur. Doletque quidem eo magis quod conſilio tali ac regimine ægrotorum vitæ in maximum periculum et extremum pœne diſcrimen adductæ ſunt.

Quæret fortaſſe quiſpiam, ullaſne igitur utilitates nobis ille præbuit? Certum eſt, quid reſpondeam. Ego nihil utilius, nihil commodis noſtris aptius eſſe exiſtimo, quam accuratas et exquiſitas morborum deſcriptiones. Nemo autem eſt ex hoc cœtu, quin Mortonum literis publicis conſignaſſe tales arbitretur. Etiam illud adjungo, eum primum in noſtram civitatem induxiſſe morem libere exhibendi corticem Peruvianum. Teſtor ſimpliciter hiſtoriam iſtius medicamenti fideliter et dilucide ab illo explicatam. Teſtor

tor viam iſtam quam in febribus ſanandis ſemper ſecutus eſt.

Non me fugit circumforaneum quendam Robertum Talborem huic et omnibus aliis medicis iſtius ſæculi gratiam popularem immerito præripuiſſe. Nec miror quidem, quoniam ſeſe unicum ad febres curandas efficacem inſolenter gloriatus eſt, et pulverem Peruvianum pro arcano cæteris ignoto venditavit. Pace autem veſtra condemnabo illum ignorantiæ et nequitiæ ex ſcriptis ſuis *. Quis enim eo tempore niſi fatuus atque inſulſus affirmavit virtutes herbarum ab illo ſidere pendere, ſub quo fuerunt collectæ? Quæve anus tam excors inveniri potuit, quæ carminum abſurdorum incantamenta extimuerit? Ille vero eorum uſu cum corporum ſanitatem tum animarum ſalutem periclitari aſſeruit. Hoc autem illi probro et crimini puto eſſe oportere, quod in remediis ſuis deſcribendis, non ſolum ambiguitate

* Πυρετολογιὰ, A rational account of the cauſe and cure of Agues, &c. Authore Rob. Talbor Pyretiatro. Lond. 1672, 12mo.

verbo-

verborum et obſcuritate ſententiarum de induſtria uſus eſt, quin etiam divinum illud remedium, unde ſibi tantam famam comparaverat, calumniatus eſt: ſciens enim nihil mali ab uſu corticis Peruviani ægris accidiſſe, id tamen hominibus perſuaſum eſſe vult, convulſiones, epilepſias, phrenitides, alioſque morbos inde oriri poſſe.

Hoccine autem credibile aut memorabile, Regem potentiſſimum noſtrum pro tali viro auctoritatem ſuam interpoſuiſſe, nationemque exteram auxilium ejus pro regio juvene imploraſſe *? Feriunt autem citius aures principum illa, quæ rara ac mirabilia ſunt, quam quæ vulgaria et vera; fæpiſſimeque res longinquæ magni æſtimantur, quæ nihil habent admirationis cum propius acceſſeris. Nec poſſum quin credam, ut fama omnis peregrina iis obſcura et ſordida ſit, qui vel ingenio vel induſtria apud ſuos cives illuſtres eſſe poſſunt.

* Vid. Annal. Colleg. A letter dated May 2d, 1678, from Lord Arlington, by command of K. Charles II. in favour of Talbor; et bene notum eſt curationem Sereniſſimi Delphini fuiſſe illi in Gallia commiſſam.

Omnes

Omnes claros viros, qui fama, qui gloria, qui doctrina, qui plurimis artibus ſub auſpicio atque imperio hujuſce collegii floruerunt, longum eſt enumerare, et non neceſſarium. Quid enim plenius ac uberius dicam de acerrimo ingenio et ſingulari induſtria Sydenhami, quam quod ſæpiſſime ex hoc ipſo loco dictum fuerit? Quid de admirabili ſagacitate Radclivii? Cur aures veſtras obtundam repetendo laudes Meadi Freindique? Uterque quidem artem ſuam mirabiliter et magnificenter augebat et ornabat; utriuſque memoriam domeſtica noſtra eloquentia tantum non immortalem reddidit *. Et quis unquam, obſecro, hoc collegium vel fortunis locupletavit, vel ingenio decoravit, quin ſuarum virtutum præconem invenerit?

Æquum eſſet fugere acerbas recordationes illorum, qui quaſi aliquod ſignum futuræ gloriæ tantum prætulerunt, et fato ſtatim intempeſtivo ſuccubuerunt. Sed me vetant leges amicitiæ, vetant magna Wollaſ-

* Vid. omnes fere nuperas orationes Harveianas.

toni atque Hadleii merita eos silentio præterire. Date igitur mihi veniam, si in hac orationis parte desiderium ac dolorem vestrum refricem. Quippe non possum quin laudem eos, qui sibi rationem quandam conformationemque doctrinæ necessariam ducebant, quamvis ad medicinam percipiendam ac colendam, si qui alii, natura fere ipsa valerent. Novi quidem ingenia illorum; novi diligentiam, quacum sese ad eas artes et studia contulerunt, quæ sapientissime et quasi divinitus in Academia Cantabrigiensi a majoribus inventa atque instituta fuerunt. Deinde vos omnes novistis, quali assiduitate in eam disciplinam incubuerunt, quæ ad suæ vitæ fortunam ac conditionem proprie pertinebat. Novistis etiam parum abfuisse, quin ad eam medicinæ notitiam, quam labore non ingrato consecuti fuerant, adjungeretur usus frequens, et inde maxima præmia, tum ad gratiam, tum ad opes, tum ad dignitatem. Erant enim artis suæ peritissimi; erant porro modesti, prudentes, graves, atque temporibus sapienter uti sciebant. Ambo autem, proh dolor! in cursu ceciderunt, eorumque immaturo interitu res nostræ damnum fecerunt.

Sed jam ſatis multa de cauſa hodiernæ celebritatis, extra cauſam etiam nimis fortaſſe multa. Quid reſtat, niſi ut vobis, Socii ornatiſſimi, gratuler, quod a patribus accepiſtis artem veſtram ab vanis commentitiiſque fabulis liberam, eorumque conſilio ac ratione firmatam? Nonne etiam maxime gaudere debeo, ſocietatem veſtram inter omnes in omni genere doctrinæ ad hanc uſque diem eminuiſſe? Et ſane, quantum conjectura auguror, eminebit ſemper, quoniam æqualitas veſtra et pares honorum gradus faciunt quod apud vos non tam præclarum eſt ſcire, quam turpe neſcire.

Liceat tamen mihi, antequam finem dicendi faciam, omnia fauſta huic noſtro collegio precari, et vos, in quibus ingenia maxima eſſe video, hortari, ut ſemper ſtudio curæque ſit medicinæ ſcientiam auctam et illuſtriorem poſteris tradere.

F I N I S.

BIBLIOTECA PUBLICA DE NAVARRA

FINIS.